Viro clarissimo atque eruditissimo
Godlieb Cortio
s. d. p. Jac. Phil. d'Orville.

Multis nominibus, amicissime Corti, me ipse accusandum ultro apud te confiterer, qui elegantissimis, meique nimium etiam studiosis literis per tantum temporis responđere supersederim; amantissimaeque tuae de oblato mihi novo munere gratulationis nullam adhuc rationem habuerim: nisi illa ipsa sparta, quam principio satis occupationum adferre novisti, me apud te a negligentiae crimine liberare deberet. Quod ita fore aequitate tua singulari confisus persuasum habeo. Breviter igitur scito declarationem propensissimi tui in me animi perquam mihi gratam accidisse: Quamvis ambitiosius mihi paulo in ea facienda egisse videaris, quam mutua nostra &

2450

& perspecta satis voluntatis studia desidera-
re videri possent. Quod vero adjicis te
vereri, ne collega mihi conjunctissimus
a tuo me amore abenet: ista me perspice-
re omnino inficior. aegre tamen aliquan-
tum me habet, quod ea inconstantia tibi
esse videar, ut te, virum singularibus
suis in me meritis probatissimum, &
propter ipsam studiorum communionem
acceptissimum, nescio quo suasore &
concitatore ex amico subito inimicum
ducerem. Sed nolim diutius in hoc
argumento versari, cum plane me hic
Davum esse agnoscam. quare ad soli-
ta pensa me converto literularum nostra-
rum.

Ante aliquot hebdomadas oratione pro-
vinciam auspicatus fui; cujus quaedam
exemplaria tibi & celeb. Menkenio, opera
Mercatoris Hegersii, missa nuper fuerunt

Illis addidi co[illegible] [Cl]aromontii,
qui hic venum a[illegible] eodem fasciculo
quoque ineditus Sannazarius Vlamingii
nostri, Cl. Menkenio inscriptus: ubi otium
nactus fuero indicem mittam accuratum
adminiculorum, quae amicus ille meus
ad Apulejum illustrandum possidet.

Cl. Burmannus totus est in Virgilio. ejus
venatici & bucolici carceres pulsant.
Scroderus quotidie a velitibus quibusdam
infestatur. dignus sane est, cui pueri ina-
sultent. fraterculus ejus, quoque in famo-
so isto carmine vir omnibus leporibus & sal-
sus audit, occepit Catullum concacare.
folium primum non sine narium incom-
modo nuper proditum fuit.

Vale, vir doctissime, et amiciorem tibi
esse neminem, quam ego fui, sum & ero,
persuasissimum habeto.

Amstelaedami. Ipsis Nonis Julii. Anno CIƆIƆCCXXX.
Conjugi tuae optimae tibique solida gaudia voveo.
frater tibi meus, jam sponsus, multa salute impertit.

Schedas quasdam Plinii tui vidi. quicunque correctioni
praeest, hic illic in lectione autographi qui haeserat.
accuratione uti videbatur.

Mynheer

de Heer Godlieb Cortius

Vermaert Professor,

Te

Leipsig.